

ad quintidecim seculi initium hæreticorum librorum combustione, malis occurrere conuevisse, quæ ex hujusmodi librorum lectione in ecclesia oriri potuissent. Hæc præcipua pastorum, ac præsertim Romanorum Pontificum cura fuit, atque hæc unica via tot hæreticorum librorum perdere poterunt. Mirum itaque non est, si antiquæ ecclesiæ nullus proscripserit librorum catalogus occurrit, nam index ille librorum Apocryphorum à Gelasio Papa in Romana Synodo propositus, inquit Cl. P. Catalani, "nequaquam dici potest Index librorum prohibitorum iuxta usitatum modernam phrasim, Index exhibens libros tam privatim, quam publice legi prohibitos," cum scopus illius decreti esset libros proponere, qui in ecclesiis per anni circumlato nonnullis leguntur pro fidelium edificatione. At inde injuria colligas, nunquam in ecclesia privatam librorum lectionem fuisse prohibitam. Nam id vetitum fuisse constat ex supra cit. Const. Apost. lib. ex Sancti Leonis verbis, ex Conciliis omnibus generalibus, in quibus damnati fuere hæreticorum libri ex can. 16. Concil. IV. Carthag. quo statuitur, ne Episcopus Gentilium libros legat; Hæreticorum autem pro necessitate, ac tempore, atque ex eo, quod Sanctus Epiphanius ann. 401. in Synodo Cypri librorum Origenis lectionem prohiberet. Hæc sane ostendit, privatam quoque librorum lectionem interdici conuevisse. Nec desunt gravissimi Theologi, qui Gelasianum quoque decretum ad privatam quoque lectionis prohibitionem extendant librorum, qui Apocryphi declarantur; cum scripta eorum in illo catalogo se consignare voluisse declaravit, quæ a catholice vitanda sint. Hactenus de disciplina, qua universa usæ est ecclesiæ in eripiendis è fidelium manibus hæreticorum libris, notissia scriptis.

## §. II.

De stabilitate per Apost. Sedem disciplina circa examen, proscriptionemque librorum post inventam artem typographicam, ac post ortum Lutheri, Calvinique hæreses.

Superiori in capite ostendimus, qua via ecclesiæ pastores è fidelium manibus impiorum libros eriperint, non nondum ars typographica inventa esset. Quanta vero eorum, ac præsertim Romanorum Pontificum cura fuerit, quantum Principum in ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis decreta obsequium, vel ex eo intelliges, quod ne vel unus quidem antiquorum hæreticorum liber superveniret. At inventa arte typographica, ortis Lutheri, & Calvinique hæresibus, atque divisa malis hæreticorum artibus in varia schismata Europa, alia ratione occurrendum fuit malis, quæ ex pravorum librorum lectione orientur. Viguit etiam deinceps, & ipse Leo X. omnes Lutheri libros sub gravissimis penis comburi jussit, ac etiam nunc viget usus comburendi per manus Carnificis certum librorum genus. At etsi id satis est ad conciliandam iniquis Auctoribus infamiam, & ad ostendam ecclesiæ voluntatem, quæ illos abolitos velle, ac publicam præsertim execrationem, qua homines ad horrendam illius lectionem incitantur: tamen sufficiens non est ad omnia prorsus perdenda typis evulgata, & dissitis in locis in multorum manus delata exemplaria. Quamobrem nova, atque aptiori disciplina fideles ab horum librorum lectione deterrere oportuit.

Cæpit ars typographica circa annum 1460. Initio autem, cum omnes imprimendis selectioribus antiquorum scriptis intenti essent, commoda hujus nove artis homines experiebantur, ac laudabant; quæ vero mala inde ortura essent, nec presentiebant, nec suspicabantur. Sed postquam initio sextidecimi seculi ob nimiam in antiquis Theologis, Patribusque carpendis, atque sacris Scripturis interpretandis libertatem, & ob novas Lutheri, Calvinique hæreses, plures noxii libri ederentur, inter quos nonnulli, mentio quoque nomine, hæretico fermento conspersi essent, nova Apostolicæ Sedis æconomia, majorque cura, & sollicitudo enituit. Nam Leo X. combustis nonnullis Lutheri scriptis, interdiciisque sub anathematis pena illius operibus, in Concilio La-

teranensi anno 1515. sessione 10. vetuit, ne deinceps imprimerentur libri, nisi prius in Urbe, ab ipsius Vicario, & Magistro sacri Palatii, aut à personis ab ipso deputatis, examinati essent; in aliis locis vero ab Episcopo, vel ab ejus deputato, aut ab Inquisitore hæreticæ pravitatis ejus civitatis, & diocesis, in qua impressio fieret. In transgressores vero, præter excommunicationem, suspensionem ab exercitio artis, amissionem librorum, aliisque penas arbitrio Ordinarii infligendas constituit. Deinde etiam Julius III. cavet, ne cui liceret legere, aut habere apud se libros Lutheranorum, aliorumque hæreticorum, idque sub penis spiritualibus, & temporariis, quæ in hæreticos latæ esse.

Sed cum plures quotidie prodirent hæreticæ labe conspersi libri, qui mentio plerumque Auctoris nomine, ac variis artibus ita errores occultabant, ut facile non esset eos à catholicorum libris discernere, ac simplices illorum lectione decipere, ac seducere possent, communi orthodoxorum voto catalogus, sive Index librorum, quorum lectio perniciosa foret, optabatur. Hinc etiam Carolus V. Facultati Lovaniensi jussit, ut librorum, qui hæretici, vel hæreses suspecti essent, catalogum teneret, qui auctoritate ipsius Caroli V. anno 1546. vulgatus fuit. Cum vero assidue novi hæreticorum libri prodirent, fusiore quoque editi eadem sacra Facultas, quem addito speciali edicto Imperator publicare mandavit anno 1556.

Sed cum istiusmodi indices summæ auctoritatis non essent, quæ omnes ubique fideles obligarent, ac libri etiam, qui ab hæreticis Italica lingua editi essent, desiderarentur, Paulus IV. P. M. anno 1557. iis, qui sacre Inquisitioni contra hæreticam pravitatem præsent, mandavit, ut Indices conficerent, consecrarentque eodem anno vulgavit. In quo etsi nullum extat decretum: ita tamen à tergo faciei libri legitur, inquit Catalogus de Secret. Sacr. Congreg. Indicis cap. 4. Index Alphabeticè ordine distinctus est, &c. Edidit præterea idem Pontifex alium Indicem anno 1558. die 30. Decembris, quem initio anni 1559. vulgavit, latis censuris contra legentes, & tenentes libros prohibitos in Bulla Cænzæ expressis, additis etiam aliis gravissimis penis. Pius autem IV. Pauli successor rigorem temperans totum illud Indicis librorum negotium ad Concilium Tridentinum detulit.

Quid vero deinceps actum fuerit, paucis innuit Clemens VIII. in constit. cujus initium est. sacrosanctum, in qua ait: "Sed cum nostris hisce calamitosi temporibus antiquis humani generis hostis à sua malitia nunquam recedens, ad eandem catholicam doctrinam labefactandam, pestifera hæreses, & detestabiles errores, aut novos conflasset, aut veteres ex inferis exscitasset, Sacra Tridentina Synodus pestilentem noxiorum librorum copiam, quæ plus nimio creverat, coercere, aut inferre cupiens, primum quidem doctissimos aliquos viros delegit, qui de tota ea re cognoscerent, & deliberarent; deinde vero cum in negotio illo parum progressi essent, justis de causis eandem synodus petiota, ad ipsam Sedem Apostolicam integram rem deferendam statuit." Quid vero Romanus Pontifex egerit, iis verbis declarat: "Itaque hæc rec. Pius Papa IV. prædecessor noster, qui tunc ad ecclesiæ gubernacula sedebat, Prælati quibusdam doctissimi, & prudentia præstantibus adhibitis, Indices librorum prohibitorum, & regulas quasdam per suas literas in forma brevis promulgavit, & ejusmodi noxiorum librorum detrimentis depellendis opportune providit." Literæ autem Pii IV. initium habent, Dominici Gregis &c. Clemens vero VIII. hæc eadem constitutione eandem Indicem, jam à Sixto V. auctum Apostolicæ auctoritate recognovit, publicavit instructione adjuncta de exsequendo prohibitionis decreto, deque sincere emendandi, & imprimendi librorum ratione. Hujus Indicis constitutionem commiserat Greg. XIII. Sacra Indici Congregatio à S. Pio V. instituta; Index vero auctus fuit sub Sixto V. ac absolutus sub Clemente VIII.

Itaque Apostolicæ Sedis cura librorum improbatæ lectionis Indices plures prodire, ac nonnulli concurrentibus

bus libris, iterum aucti in lucem mittuntur. Præter Congreg. supræ Inquisitoris, aliam quoque Cardinalium Congreg. quæ Indicis appellatur, instituit S. Pius V. eamque novis facultatibus auxit Sixtus V. novisque privilegiis roboravit Clemens VIII. in supra citata constitutione.

Hæc autem indicavit, ut inde omnes agnoscant, quæ fuerit, quæque nunc sit Romanz Sedis pro impedienda noxiarum librorum lectione sollicitudo, quantumque ejusdem hæc de re decretis debeatur obsequium. Ecclesiæ enim unice munus est demonstrare fidelibus, quinam sint noxii libri, quorum lectio homines seducere, ac depravare possit. Ubi vero nisi in Romana, ac Petri Sede id fieri potest? Quis non videat, divina ei providentia concessum esse, ut in starum illum deveniret, in quo hæc nostra ætate, & undique conquirentes libros, & doctos auctoritate facultatis Censores, & tante dignitatis, & auctoritatis Judices, quantæ sunt Cardinales, habere possit? Si non aliam auctoritatem haberet, quam ab ecclesiæ in Tridentina Synodo congregata eidem collatam; an non omnes ejusdem decretis obtemperare deberent? At eam habet, quam Christus Petro, supra quem ecclesiam suam fundavit, contulit; quam Petrus ipse, eorumque Successores in universam ecclesiam semper exercere, quam denique agnovere semper ecclesiæ omnes, veluti fontem totius sacerdotalis jurisdictionis, veluti centrum unitatis, ac veluti matrem, & magistrum omnium ecclesiarum.

Sed videamus, quæ regulas pro judicandis, vetandisque libris stabilierit, & qua ratione ad eosdem proscribendos procedat. Libri, qui in hujusmodi catalogum referri debent, inquit Pius IV. constit. incip. Dominici Gregis. . . . . ii sunt qui vel hæretici sunt, vel de hæreticæ pravitatis suspecti, vel certe moribus, & pietati nocent. Hæc sane præcipua, ac generalis regula est, atque ad hæc facile revocantur prohibitiones etiam librorum in odium Auctorum, eorumque, qui ob non servatas in editione præscriptas ab ecclesiæ regulas, ventantur; ut rem serio expendantur liquet. Quis vero non videat, pastoris munus esse, hos ex illorum manibus, quorum animarum rationem sint reddituri, præripere libros? Quæ autem methodus sit, quam Apostolica Sedes in iis examinandis, proscribendisque libris, servet, habet. ex const. fel. rec. Benedicti P. XIV. quam integram in fine §. 3. hujus verb. addoatam invenies.

## §. III.

De auctoritate decretorum librorum vetantium, de penis in eos latis, qui hujusmodi libris legant, retineant &c.

In primo capite ostendimus, antequam inventa esset ars typographica, ecclesiæ curam universam fuisse, ut igne perderet hæreticorum, aliosque religioni, ac pietati inimicos libros, vocato multoties in subsidium brachio seculari, & ecclesiasticis quandoque censuris adhibitis, ut hujusmodi libris detegeret, ut excitaret Episcopos ad eorumdem inquisitionem, fidelesque ad eos Episcopos deferendos, ut comburerentur. Id autem non ita intelligant velim, quasi illorum lectio vetita non esset, sed sola librorum combustio decerneretur. Nam regula generalis erat, ut ex S. Gregorio Magno lib. 7. cap. 48. colligitur, damnato Auctore damnari ejus scripturas, & libros, & opera, in quibus errores essent, quorum causa damnarentur. Quæ vero damnatio fuisse operum, si retineri, ac legi potuissent? Immo dum sub anathematis pena Auctores damnati essent, eisdem penis subjectos fuisse arbitror tenentes, legentesque eorum libros. Præsertim cum errorum fautores haberentur, quorum apud se haberent, ac legerent libros. In altero autem capite ostendimus, post illius artis inventionem, & postquam tot hæreses in schismata divisere christianos, consuevissent utique nonnullos libros iuxta antiquam consuetudinem comburi, at fieri non potuisse, ut hæc via è fidelium manibus omnino præriperentur: quamobrem nova opus fuisse disciplina, quam quidem singulari Apostolicæ Sedis cura stabilitam, ac

FERRAR. BIBLIOTH. TOM. V.

absolutam fuisse, demonstravimus. In hoc itaque primum de penis in hac disciplina constitutis, deque obligatione agemus, quæ ex decretis librorum vetantium oritur.

Primum itaque lex in Concilio Lateranensi sub Leone X. lata, inculcata in Concilio Tridentino, atque in Indice renovata, contra Typographos, qui libros evulgant, qui prius ab illis non sint approbati, quibus hoc munus commissum est, penam constituit contra illius violatores, amissionis omnium librorum, eorumque publicæ combustionis, ac centum ducatorum: Item excommunicationis, & integri anni suspensionis ab officio, & exercitio typographico, præter penas arbitrio Episcoporum contumacibus infligendas.

Deinde in legentes, tenentes, ac imprimentes libros prohibitos variæ constitutæ sunt penæ, pro varietate librorum: nonnulli enim sub excommunicatione vetantur, quæ Bullæ Cænzæ continetur, quæque ex Romano Pontifici reservata. Alii vero sub pena excommunicationis, quæ in regulis Indicis exprimitur, prohibiti sunt, quæ tamen excommunicationi nulli reservatur. Alii brevibus seu bullis Romanorum Pontificum singulariter proscripsi fuere, atque ita prohibiti in novo Indice indicantur. Illos vero fere omnes, etsi ab Auctoribus catholicis conscripti sunt, & ex professo de hæresi non tractant; tamen sub excommunicationis pena Romano Pontifici reservatæ prohibentur, ut consulenti breviter, bullasque Pontificias liquebit. Alii denique sub pena tantum peccati mortalis, aliisque penis arbitrio Episcoporum contumacibus infligendis. Ne vero Lectores cum P. Concina tom. 1. theol. christ. lib. 1. disp. 2. pag. 221. putent, etiam libros omnes catholicos, quancumque ex causa prohibitos, veteri sub peccato mortali, & excommunicatione non reservata, placet hic in medium proferre verba constituti. Pii Papæ IV. incipien. Dominici Gregis: "Si quis, inquit, adversus eas Regulas, prohibitionemque fecerit, is quidem, qui hæreticorum libros, vel cujusvis auctoris scripta propter hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habuerit, ipso jure in excommunicationis penam incidat, eamque ob causam in eum utamquam de hæresi suspectum inquiri, & procedi liceat; præter alias penas super hoc ab Apostolica Sede, sacrisque canonibus constitutas. Qui autem libros malia de causa prohibitos legerit, habueritque, præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio severe esse noverit puniendum."

In excommunicationem Bullæ Cænzæ incurrunt legentes, vel retinentes quoscumque libros Lutheri, Calvini, aliorumque Hæresiarcharum, de quocumque argumento tractantes, sive ex professo de religione agant, sive non, sive hæreses inspersas habeant, sive non. Hoc autem nomine designantur, qui novas hæreses, & sectas condiderunt, aut veteres jam sepultas, & extinctas iterum instaurarunt, aut suscitarent. Quod quidem nomina ipsa designant Hæresiarchæ, Capituli, & Ducis in prima regula Indicis expressa. In eadem excommunicationem incidunt legentes, habentesque libros, quorumcumque hæreticorum ex professo de religione tractantes. Tractant autem ex professo de religione, agentes de sacra scriptura, de theologia dogmatica, scholastica, & morali, de Jure canonico, de historia ecclesiastica, de clericis, de monachis, de Sanctorum cultu, de Sacramento, de Sacris Ritibus, deque aliis ad religionem pertinentibus. Itaque qui scienter, hoc est, scientes, Auctores esse hæreticos, vel libros esse ab ecclesiæ vetitis, hujusmodi libros legunt sine debita licentia, sive id ex mera curiositate, sive etiam animo refellendi errores id agant, excommunicationem antea dictam subeunt; dummodo parvas materiam non excuset. Eandem incurrunt eosdem ementes, etiam ad merum ornatum bibliothecæ, immo & qui apud alios quoque retineant, qui facultatem habeant, retento dominio, nisi id per breve sit temporis spatium, quod aliquantulum extendi potest, dum justa causa adit spei obtinendæ facultatis. Extenditur quoque excommunicatione illa ad eos, qui operam ad horum librorum editionem conferunt, ut sunt typographus, qui sumptus sup-

pediat, qui areas literas jungunt, & componunt, qui praeo excidunt, quique typos perlegunt, & corrigunt ac demum ad eos, qui hujusmodi libros defendunt. Defendere autem dicuntur libros, qui eorum prohibitionem impediunt, qui eosdem utiles bonosque esse, non vero damnandos praedicunt; aliaque agunt, quae ad illorum detentionem pertinent. Il omnes in duplicem excommunicationem incidunt, alteram bullae, cujus absolutio Summo Pontifici reservata est, alteram Indicis, quae non est reservata.

Dum vero libri sint ab haeretico homine conscripti, de religione vero non tractent, sed philosophiam, rethoricam, historiam profanam, medicinam, aliamque inferiorem facultatem exponant, si à Theologis aliisque jussu Episcoporum, vel inquisitorum, examinati, approbati sint, omnino permittuntur. Tunc enim praesumitur, aut nullos habuisse errores, aut fuisse jam expurgatos. Quia vero quotquot exsunt ex haeticorum officinis, juxta praescriptum regularum Indicis editi non sunt, omnes cujusque argumenti per regulam X. proscripti esse videntur. Sed ad catholicorum loca delati universim veluti permisi haberi solent, donec ecclesiae judicio in damnatorum catalogum referantur. Id autem non alia de causa, ut ego arbitror, nisi quod per Revisores deputatos ad examen librorum, qui in catholicorum civitatibus introducuntur, veluti examinati, probatique habentur. Quamobrem graviter peccant Revisores, si suspectos hujusmodi libros examinare negligant, ac Mercatores etiam librorum, aliique, qui scientes illos esse suspectis typographis prodidisse, eosdem de industria deputatis Revisoribus occultare student. Nam praeterquam quod contra ecclesiae legem agunt libros illos examini subijcunt, in causa sunt, ut noxii libri è simpliciorum manibus, aliisque, quos seducere ac depravare possint, juxta ecclesiae voluntatem non eripiantur. Peccant itidem, & quidem graviter, qui hujusmodi libros legentes, in iisque vel haereses, aut errores alios religioni, pietati,que contrarios offendentes, eos denunciare negligunt Sacrae Congregationi, vel Episcopis, aut Inquisitoribus, ut in catalogum prohibitorum referantur. Immo si libri alieni etiam à religione argumenti, de philosophia ex gr. vel jure civili, tales sint, ut haereses plures saepe inculcent, vel unam eandemque crebro inserant, ac persuadere conentur, acuti passim usvenire solet Novatoribus, si habentur pro libris de religione tractantibus, inquit doctissimus P. Gretserus, ac jam damnati sunt per generalem legem, tum Bullae in Coena Domini, tum Indicis; illosque tenentes, ac legentes sine necessaria licentia, postquam noverint hujusmodi esse haeresibus infectos, atque ab ecclesia damnatos haeticorum libros, in penas incident illis legibus contentas. Nam omnium judicio, per haeticorum libros, si intelliguntur, qui de religione tractant, & haereses continent, non unam, vel alteram, sed plures; & si eandem saepe, & cum studio repetitam, & inculcatam. P. hujusmodi itaque libri, etsi in catalogo prohibitorum non leguntur, tamen ut haeticorum libri ipso jure damnati sunt. Addit etiam citatus Gretserus lectionem libri, qui de religione non agat, sed aliquam haesim tantum obiter contineat, excommunicationem secum ferre Indicis tantum, ob materiae parvitatem.

Si liber qui de religione non tractat, aut est Catholicus Auctoris, sub excommunicatione prohibetur, sed nec Bullae Coenae, neque reservationis mentio ulla fiat, excommunicatio reservata non est. At qui post Alexandrum VII. brevibus fere bullis particularibus proscripti sunt, omnes fere reservatam excommunicationem secum ferunt, ut ex iisdem brevibus intelligere est, ad quae Lectores remittuntur in epistola novae Indicis editionis praefixa.

Nota 1. Constitutione pluries cit. Omnium sollicitudinum, Christiani fideles in regno Madurensi, aliisque finitimis regionibus interdicitur. "Gentilium libros legere, & retinere sub pena excommunicationis lata sententiae, nisi prius habita licentia Parochi, sive Missionarii curam animarum exercentis, quorum prudentiae committitur facultas super hoc dispensandi, & li-

breros (qui forte sunt) noxia superstitione vacuos, nihil contra bonos mores tractantes, pro christianorum usu seligendi, eorumque lecturam permittendi. Nota 2. In Bulla Coenae non prohibentur libri Ethnicorum, Judaeorum, & Mahumeticorum. Nam illi haeticorum nomine non veniunt. Libri de astrologia judiciaria, ac divinatione de rebus contingendis futuris, prohibentur à Sixto V. sub pena excommunicationis latae sententiae Summo Pontifici reservatae. Celebriores Theologi censent, nomine librorum haeticorum venire etiam libros Photianorum, Armenorum, Jacobitarum, & recentiorum Nestorianorum, quia illi non sunt sub obedientia Romani Pontificis, sicut haetici, atque eorum libri ita religioni sunt inimici, & ad seducendum apti, ut praesumi omnino debeat Ecclesiam, & Apostolicam Sedem, illorum quoque lectionem vetare voluisse. Haec quantum ad penas, nunc de decretorum vi & auctoritate agendum est. Id vero nonnullorum dubiorum solutione praestabimus.

§. IV. Proponuntur circa hanc materiam nonnullae quaestiones. Quest. I. Utrum in prohibitione libri etiam manuscriptorum prohibita censentur? Resp. Affirmative, nam vel libri sunt haeticorum, qui de religione tractant, vel sunt libri catholicorum in catalogo prohibitorum ecclesiae sententia relati. Utrique autem prohibiti sunt sive manuscriptori, sive typis editi circumferantur. Ad haeticorum libros quod spectat, quis ignoret ab ecclesia in Bulla Coenae, & in generalibus regulis Indicis omnes damnati haeticorum libros, qui de religione ex professo tractant? Itaque si manuscriptorum haeticorum de religione ex professo agent, dubitari non potest, quin generalis illa lege prohibita fuerint. Deinde nemo negat librorum nomine etiam nunc manuscriptorum venire, quae hoc nomine designabatur, dum nondum haberetur ars typographica, ac etiam exprimi solent. Denique nemo ignorat, Ecclesiam hos proscribere libros, ut à periculis, qui ex eorumdem lectione imminet, Fideles liberet.

Itaque ecclesiae finis fuit hac prohibitione fideles à lectione scriptorum haeticorum avocare, ne simplices corrumpantur, ne ipsi etiam docti in varios errores abirent, ut loquitur Pius IV. in saepe citata constitutione. At si manuscriptorum non prohibuisset, incommoda haec non evitaret; nam possent haetici sola manuscriptorum divulgare, aut alii curare possent ut haeticorum libri ita describerentur, sicque omnem prohibitionem eludere. Accedit etiam, quod ecclesia per hanc prohibitionem non minorem adhibeat sollicitudinem, quam adhibuisset ante inventionem artis typographicae, ut à fidelium manibus noxios libros praecipiat. Ergo omnem prorsus lectionem vetat, etiam manuscriptorum. Ita sane omnes doctiores, & qui sunt in hisce rebus magis versati, sentiunt, & ut nimis laxam contrariam opinionem rejiciunt, atque ut omnino commentitiam habent declarationem Sacrae Congreg. ab Adversariis adsertam.

Si liber vero prohibitus aut de religione non tractet, vel sit Auctoris Catholicus, cum non damnatus sit, quia typis editus, sed ob noxiam quam habet doctrinam, quis non videat etiam manuscriptorum prohibendum esse?

Quest. II. Utrum libri Catholicorum prohibiti in uno, sint etiam in alio idiomate vetiti? Resp. Affirmative, nam regula praescripta à Clemente VIII. §. 6. ita habet: "In universum autem de malis, & perniciosis libris id declaratur, atque statuitur, ut qui certa lingua infido editi, & deinceps prohibiti, ac damnati à Sede Apostolica sunt, eosdem quoque in quacunque postea vertantur lingua, censeri ab Apostolica Sede sub eisdem penis interdictos, & damnatos."

Quest. III. Quinam concedere debeat legendi librorum prohibitorum facultatem? Resp.

Resp. Jus concessum Episcopis, & Inquisitoribus sublatum esse per constitutionem Gregorii Papae XV. incipientem Apostolorum officium: in qua statuitur, de cetero similes licentia nisi à Congreg. Sancti Officii non concedantur. Deinde istud idem jus concessum fuit Sacrae Congr. Indicis, habetque Magister Sacrae Palatii pro Roma, & ejus districti. Hoc autem notatum voluit, ut Lectores intelligant, non posse locorum Ordinarios hanc licentiam concedere, nisi illius concedendae facultatem habuerint ab Apostolica Sede; quia inferior non potest legem superioris tollere, neque absolvere à reservatione Papae ut optime advertit Navarr. leg. 1. consil. tit. 2. consil. 1. q. 36. & quia per superiorem constitutionem hujusmodi jus Apost. Sedi reservatur.

Quest. IV. Utrum decreta, quibus Roma prohibentur libri, obligent omnes omnino Fideles? Resp. Affirmative. Primum ad liquet ex verbis praescriptis regulae Clem. PP. VIII. ubi dicitur libros prohibitos à Sede Apostolica in quacunque vertantur linguam, censeri ab eadem Sede ubique gentium sub eisdem penis interdittos, & damnatos. Deinde hujusmodi decreta approbati solent à Summis Pontificibus, ac de re sunt, quae ad omnes fideles pertinent, cujusmodi est fides, & morum doctrina. Quis vero dicat, decreta edita à summis viris, quales sunt Cardinales, & approbata à Summo Pontifice, qui fatentibus omnibus catholicis, auctoritatem, & jurisdictionem habet in universam ecclesiam, vim non habere obligandi omnes fideles? Ab eo enim approbata vulgantur, qui potestatem, & animum obligandi habet. Ne dicas, recepta non esse, vel non esse satis vulgata. Quis enim dicat, ex ovium acceptione vim pendere legum, quas pro communi bono supremus Ecclesiae Pastor constituit, quibus velit omnes omnino obligare? Vel satis vulgata non esse decreta, quae ita publicantur, ut facile ad omnium notitiam pervenire possint? Nam praeterquam quod decreta hujusmodi typis consignantur, ut facile per manus Episcoporum ad omnium notitiam pervenire possint, libri proscripti Indicis librorum prohibitorum inseruntur, ex quo fideles omnes facile intelligere possunt, quinam sint libri, Apostolice Sedis decreto damnati.

Denique, id eadem Sacra Congreg. definit die 4. Decembris anni 1674. in solutione dubiorum, quae fuerant ex parte Episcopi Malacensis proposita, quorum primum erat: An decreta Sacrae Congreg. obligent etiam in regnis Hispaniarum? Alterum vero: An Episcopi procedere possint contra transgressores horum Decretorum? Sacra Congreg. respondit ad 1. id non posse verti in dubium, cum decreta hujus Congregationis obligent universos Christianos. Ad 2. quod Episcopi possunt procedere contra transgressores, utendo propria auctoritate.

Nota. Si alicubi ex Sedis Apostolicae indulgentia, vel tolerantia usum recepte non sint regulae Indicis, ac Bullae Coenae, id unice inferri poterit, legentes libros non incurtere in censuras in illis expressas. At certum est, graviter peccare contra ecclesiae praescriptum, quae semper vetuit horum librorum lectionem, quaeque eandem per Romanum Pontificem inculcat, & renovat. Hinc boni probique catholici ex omnibus partibus recurrere solent ad Apostolicam Sedem, vel ad habentes ab ea facultatem, ut legendi vetitos libros licentiam obtineant. (Lit. A pag. 28. in add. hisp.)

Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIV. constitutio qua methodus praescribitur in examine, & proscriptio librorum servanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

SOLLICITA ac provida Romanorum Pontificum praecessorum nostrorum vigilantia in eam semper curam incubuit, ut Christiani fideles ab eorum librorum lectione averteret, ex quibus incauti, ac simplices detrimentum

quidpiam capere possent, imbuique opinionibus, ac doctrinis, quae vel morum integritati, vel catholicae religionis dogmatibus adversantur. Nam, ut vetustissimum mittamus S. Gelasii decretum, quaeque jam pridem à Gregorio IX. aliisque Pontificibus haec de re statuta fuerant; ignorare neminem arbitramur, quae fuerint à praedecessoribus nostris Pio IV. Sancto Pio V. & Clemente VIII. diligentissime praestita, ut saluberrimum opus à sacrosanctae Tridentinae Synodi Patribus susceptum, mature discussum, ac bene ad exitum perductum, de vetitae lectionis librorum Indice conficiendo, atque vulgando, non absolvent solum, atque perficerent, sed sapientissimis etiam decretis, ac regulis communirent. Quod quidem negotium Apostolica Sedes continenter urget, ac promovet, ad id deputatis duabus S. R. E. Cardinalium Congregationibus, quibus onus inquirendi in pravos, noxiosque libros impositum est, cognoscendique, quibus emendatio, & quibus proscriptio debeat. Id munus Congregationi quidem Romanae universalis Inquisitionis à Paulo IV. commissum perhibent, idque adhuc ab ea exerceri pergit, ubi de libris ad certa rerum genera pertinentibus judicandum occurrit. Certum est autem, S. Pium V. primum fuisse Congregationis Indicis institutorem, quam subsequentes deinde Pontifices Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. confirmarunt, varisque privilegiis, & facultatibus auerunt; ejusque proprium, ac fere unicum officium est, in examen libros vocare, de quorum proscriptio, emendatione, vel permissione capienda est deliberatio.

§. I. Qua maturitate, consilio, ac prudentia in Congregatione universalis Inquisitionis de proscriptendis, vel dimittendis libris deliberetur, cum neminem latere putamus, tum nos ipsi plane perspectum, ac diuturna experientia compertum habemus; nam in minoribus constituti, de libris nonnullis in ea censuram tulimus, & Consultoris ejusdem Congregationis munere diu perfuncti sumus; postremo inter S. R. E. Cardinales cooptati, Inquisitoris generalis locum in ea obtinimus; ac demum ad Apostolicam Sedem, meritis licet imparibus evecti, non modo Censorem antemadversiones in libros nonnullos aliquando legere, ac ponderare, sed etiam in Congregationibus, quae singulis fertis quintis coram nobis habentur, Cardinalium sententias, atque suffragia, antequam de fidei libris quid decerneretur, audire, & excipere consuevimus. Haud minoris diligentiae testimonium ferre possumus, adeoque debemus, pro altera Congregatione Indicis, cui generaliter incumbit, ut supra diximus, de quorumvis librorum proscriptio decerneret. Dum enim in minoribus versaremur, cum primi, tum secundi Censoris, seu Relatoris officium in ea Congregatione non semel obivimus; ex quo autem supremum Pontificatum gerimus, nullius libri proscriptioem ratam habuimus, nisi audito Congregationis Secretario, qui libri materiam, revisorum censuras, Cardinalium judicia, & suffragia accurate nobis exponeret.

§. II. Sed quoniam compertum est nobis, atque exploratum, multas librorum proscriptioes, praesertim quorum auctores catholici sunt, publicis aliquando, iniustisque querelis in reprehensionem adducti, tamquam si temere, ac perfunctorie in tribunalibus nostris ea res ageretur; opere praetium diximus, haec nostra perpetua vultura constitutione, certas, firmas, & regulas proponere, juxta quas deinceps librorum examen, judiciumque peragatur, tametsi plane affirmari possit, id ipsum jam pridem, vel eadem prorsus ratione, vel alia aequali, constanter actum fuisse.

§. III. Potro Romanae universalis Inquisitionis Congregatio ex pluribus constat Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus à Summo Pontifice delectis, quorum alii sacrae theologiae, alii canonici Juris doctrina, alii ecclesiasticarum rerum peritia, munerumque Romanae Curiae exercitatione, prudentiae demum, ac probitatis laude, conspicui habentur. His adjungitur unus ex Ro-

ma

manus Curie Præsulibus, quem *Assessorum* vocant; unus etiam ex ordine Prædicatorum sacre theologia Magister, quem *Commissarium* appellant; certus præterea Consultorum numerus, qui ex utroque Clero seculari, ac regulari assumuntur; alii demum præstantes doctrina viri, qui à Congregatione jussi, de libris censuram instaurant, hisque *Qualificatorum* nomen tributum est. De variis in præfata Congregatione, hisque gravissimis rebus agitur, in primis autem de causis fidei, ac de personis violatæ religionis reis. At cum librum aliquem ad eam, tanquam proscriptione dignum, deferri contigerit, nisi ad Indicis Congregationem, ut fieri plerumque solet, judicandum remittat, sed pro rerum, temporumque ratione sibi de illo cognoscendum esse arbitretur. Nos, inhærentes decreto lato ab eadem Congregatione quarta Kalendis Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, atque à nobis confirmato feria quinta insequente, hac ratione, & methodo judicium institui mandamus.

§. IV. Primo nimirum uni ex *Qualificatoribus*, aut Consultoribus à Congregatione designando, liber tradatur, quem is attentò animo legat, ac diligenter examine dignum, deferri contigerit, nisi ad Indicis Congregationem, ut fieri plerumque solet, judicandum remittat, sed pro rerum, temporumque ratione sibi de illo cognoscendum esse arbitretur. Nos, inhærentes decreto lato ab eadem Congregatione quarta Kalendis Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, atque à nobis confirmato feria quinta insequente, hac ratione, & methodo judicium institui mandamus.

§. V. Cum autem sit veteri institutione receptum, ut auctor catholici liber, non unius tantum Relatoris respectu censura, illico proscribatur; ad normam præfati decreti mensis Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, volumus eam consuetudinem omnino servari; ita ut si primus censor librum proscribendum esse judicet, quamvis Consultores in eadem sententiam conveniant, nihilominus alteri revisori ab eadem Congregatione electo liber, & censura tradantur, suppresso primi censoris nomine, quo alter judicium suum liberius exponat. Si autem secundus revisor primo assentiatur, tunc utriusque animadversiones ad Cardinales mittantur, ut his expensis de libro decernant: at si secundus à primo dissentiatur, ac librum dimittere existimet, tertius eligatur censor, cui suppresso priorum nomine, utraque censura communicetur. Hujus autem ratio, si à priore Consultorum sententia non abudat, Cardinalibus immediate communitur, ut ipsi quod opportunum fuerit decernant; sin minus, iterum Consultores, respectu tercia censura suffragium ferant; idque una cum omnibus præfatis relationibus Cardinalibus exhibeatur, qui re ita mature perpensa, de controversia denique pronuntiare debebunt. Quotiescumque autem Pontifex, vel ob rei, de qua in libro agitur, gravitatem, vel quia ad auctoris merito, aliisque circumstantiis tribuendum censetur, libri judicium coram se ipso in Congregatione ferre quæ habendum decreverit; quod sæpe à nobis factum fuit, & quoties ita expedire iudicabimus, imposterum quoque fiet; tunc satis fuerit exhibere Pontifici, & Cardinalibus libri censuras, & Consultorum suffragia, omisso examine Congregationis ferre quartæ, ejusque relatione, quam per Assessorem Pontifici faciendam diximus, nam Cardinalium suffragiis coram ipso Pontifice ferendis, atque hujus definitiva sententia, vel alio opportuno consilio in eadem Congregatione capiendò, res absolvetur.

§. VI. Altera quoque Indicis Congregatio plures complectitur Cardinales ipsi à Pontifice adscriptos, hisdemque dotibus præditos, quibus Sancti Officii Cardinales polleere solent; quum etiam eorum aliquos in utraque Congregatione locum habere contingat. Ex his

unus ejusdem Congregationis Præfectus existit; Assistentem vero perpetuus est Magister sacri palatii; Secretarius autem, à prima Congregationis institutione usque in præsentem diem, ex ordine Fratrum Prædicatorum à Summo Pontifice pro tempore eligi consuevit. Sunt præterea ex utroque Clero seculari, & regulari ejusdem Congregationis Consultores, & Relatores selecti; & quidem, ubi aliquis librorum relationem coram Congregatione semel, bis, tertio laudabiliter peregerit, tum ipsa Congregatio Pontificem rogare solet, ut ejus auctoritate in Consultorum numerum referatur.

§. VII. Sub ipsa pontificatus nostri primordia, ea nos subit cogitatio, ut certam aliquam, & immutabilem methodum pro examine, Judicioque librorum in hac Indicis Congregatione servandam statueremus. Quæ de re non modo consilium exquisivimus dilecti filii nostri Angeli Mariæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis *Quirini* nuncupati, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii, & dicte Congregationis Præfecti, qui pari prudentia, & doctrina sum nobis sensum scripto declaravit; verum etiam antiquiores aliquos ejusdem Congregationis Consultores coram dilecto filio Josepho Augustino Orsi Ordinis Prædicatorum tunc ipsius Congregationis Secretario, nunc autem palatii apostolici Magistro, convenire jussimus, suamque sententiam aperire, quæ pariter scripto concepta, nobis jam nunc exhibita fuit. Cumque hæc omnia diligenter apud nos asservata fuerint, nunc demum veterem editionem nostram resumentes, quemadmodum ea, quæ ad librorum examen, atque judicium in præfata Congregatione Sancti Officii peragendum, pertinet, auctoritate nostra constabiliimus; ita etiam ea, quæ ad Congregationem Indicis, & ejusdem generis negotia apud eam tractanda facere possunt, opportunis decretis constituere volentes, prælaudati Cardinalis Præfecti consiliis, dictorumque Consultorum votis inhærentes, hæc deinceps servanda decernimus.

§. VIII. Cum Congregatio Indicis ad librorum censuram unice, ut dictum est, instituta, non ita crebro convocari solet, ut altera Sancti Officii Congregatio, quæ ob causarum, & negotiorum multitudinem singulis hebdomadis ter haberi consuevit; illius præterea Secretarii peculiare munus, & officium recipiendi librorum denuntiationes, ut fieri jam antea consuevit, committimus, & demandamus. His autem à libri delatore percunctabitur diligenter, quas ob causas illum prohiberi postulet, tum librum ipsum hand perfunctorie pervolvat, ut de proposita accusationis subsistentia cognoscat; duobus etiam in eam rem adhibitis Consultoribus, ab ipso, prævia Summi Pontificis, aut Cardinalis Præfecti, vel ejus, qui Præfecti vices supplet, approbatione eligendis: quorum collato consilio, si liber censura, & nota dignus videatur, unus aliquis relator ad ferendum de eo judicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in libro agitur, peritus, eadem, quam nuper innuimus, ratione eligendus erit, qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis, quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed antequam ejus censura ad Cardinalium Congregationem feratur, haberi volumus privatam Consultorum Congregationem, in quam olim *Parvam* dixerunt, nos autem *Preparatoriam* vocabimus, ut Relatoris animadversionibus ad librum collatis, de eorum pondere judicium fiat. Hujusmodi Congregatio semel omnino singulis mensibus, aut etiam sæpius, si oportuerit, ab ipso Congregationis Secretario convocanda erit, vel in suis cubiculis, vel opportunioribus, ut ipsi videbitur, loco, intra prædicti consilii ædes, ubi is commoratur, eique semper intererit Magister sacri palatii pro tempore existens, una cum sex aliis à numero Consultorum, singulis vicibus, pro qualitate argumenti, & materia, de qua disputandum erit, ut supra de primis duobus Consultoribus, & relatores constitutum est, à Secretario eligendis; præter Secretarium ipsum, cujus partes erunt in tabula referre Consultorum sententias, quas deinde ad Congregationem Cardinalium mittet, cum re-

latoris censura. In generali demum Congregatione omnino illa servari debent, quæ superius statuta sunt pro Congregatione sancti Officii circa librorum examen. Ac quemadmodum ad Assessorem sancti Officii pertinet de actis in Congregatione Summum Pontificem certum reddere; ita ad Secretarium Congregationis Indicis spectabit, quoties hæc librum aliquem proscribendum, aut emendandum censuerit, ejusdem Pontificis assensum, prævia diligenti actorum omnium relatione, exquirere.

§. IX. Quoniam vero in Congregatione Indicis de sola librorum prohibitione agitur, nonnulla hoc loco adjungenda judicavimus, eidem Congregatione potissimum usui futura, quæ tamen ab altera etiam Congregatione sancti Officii, dum in hujus quoque generis causis se immiscet, ubi similes rerum circumstantiæ se offerant, æque observanda erunt. Quotiescumque agatur de libro auctoris catholici, qui sit integre famæ, & clari nominis, vel ob alios editos libros, vel forte ob eum ipsum, qui in examen adducitur, & hunc quidem proscribi oporteat; præ oculis habetur usu jamdiu recepta consuetudo prohibendi librum, adjecta clausula: *donec corrigatur, seu donec expurgetur*, si locum habere possit, nec gravis quædam obstat, quominus in casu, de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adjecta, non statim edatur decretum, sed suspensa illius publicatione, res antea cum auctore, vel quovis altero pro eo agente, & rogante, communicetur, atque ei quid delendum, mutandum, corrigendumve fuerit, indicetur. Quod si nemo auctoris nomine comparet, vel ipse, ut aliter pro eo agens in junctam correctionem libri detrectet, congruo definitio tempore decretum edatur. Si vero idem auctor, ejusve procurator, Congregationis jussa fecerit, hoc est novam insituerit libri editionem cum opportunis castigationibus, ac mutationibus; tunc supprimatur proscriptio decretum; nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint; tunc enim ita decretum publicandum erit, ut omnes intelligant, prioris editionis exemplaria dumtaxat interdicta fore, secundæ vero jam emendatæ permissa.

§. X. Conquestos scimus aliquando nonnullos, quod librorum judicia, & proscriptiones, inauditis auctoribus, fiant, nullo ipsis loco ad defensionem concessio. Huic autem quæres responsum fuisse novimus, nihil opus esse auctorem in judicium vocare, ubi non quidem de eorum personis notandis, aut condemnandis agitur, sed de consulendo fidelium indemnitate, atque advertendo ab ipsis periculo, quod ex noxia librorum electione facile incurritur; si qua vero ignominia labæ auctoris nomen ex eo aspergi contingat, id non dicitur, sed oblique ex libri damnatione consequi. Quasane ratione minime improbandas censemus hujusmodi librorum prohibitiones, inauditis auctoribus, factas; quum præsertim credendum sit, quidquid pro se ipso, aut pro doctrinæ suæ defensione potuisset auctor afferre, id minime à censoribus, atque iudicibus ignoratum, vel neglectum fuisse. Nihil tamen minus, quod sæpe aliis summa aequitatis, & prudentiæ ratione ab eadem Congregatione factum fuisse constat, & hoc etiam imposterum ab ea servari monere oportet, ut quando res sit de auctore catholico, aliqua nominis, & meritorum fama illustri, ejusque opus, demptis demandis, in publicum prodire, & prodesse posse dignoscatur, vel auctorem ipsum suam causam aucterit volentem audiat, vel unum ex Consultoribus designet, qui ex officio operis patrocinium, defensionemque suscipiat.

§. XI. Quemadmodum vero, ubi de Congregatione sancti Officii agebamus, eidem non semper inter futuros recipimus, quotiescumque de libro, cujus materia gravioris momenti sit, judicium agatur: quod erit nobis facilitum, quum eadem Congregatio quælibet feria quinta coram nobis habeatur; sic & Indicis Congregationi presentiam nostram impendere parati sumus, quoties rei gravitas id promereri videbi-

tur. Neque enim id opus esse dicendum est, quum vel hæretici hominis liber denuntiatur, in quo auctor errores catholicæ dogmati adversantes consulo tradit, aut tuetur; vel opus aliquod in examen adducitur, quo rectæ morum regulæ labefactantur, ac vitii, & corruptelis fomenta præbentur. In his enim casibus ne illas quidem, quos supra scripsimus, accuratores cautelas adhibere necesse erit; sed hæretico dogmate, vel pravo moris incitamento semel comperito, proscriptio decretum illico sancendum erit, juxta primam, secundam, & septimam Indicis regulas, sacrosancti Tridentini Concilii jussu editas, atque vulgatas.

§. XII. Cum in prælaudata Congregatione sancti Officii severissimis legibus cautum sit, ne de rebus ejusdem Congregationis quisquam cum alio extra illam loquatur; nos hanc eandem silentii legem à Relatoribus, Consultoribus, & Cardinalibus Congregationis Indicis religiose custodiendam præcipimus. Illius tamen Secretario potestatem facimus ut animadversiones in libros censuræ subjectos, eorum auctoribus, vel aliis illorum nomine agentibus, & possulantibus, sub eadem secreti lege communicare queat, suppressis semper denuntiatoris, censorisque nominibus.

§. XIII. Examinandis, corrigendisque libris peropportuna sunt, quæ decem regulis Indicis à Patribus Tridentinæ Synodi confectis, atque editis continentur. In instructione autem felicis recordationis Clementis Papæ VIII. eidem regulis adjecta, tit. de correctione librorum §. V. Episcopis, & Inquisitoribus cura committitur, ut ad librorum edendum examen spectate pietatis, & doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide, & integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratis duros, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectatos, & fidelis populi utilitatem. His porro virtutibus, animique doctibus, si non majori, at pari certe de causa, præstare oportet hujus nostræ Congregationis Revisores, & Consultores. Cumque eos omnes, qui nunc hujusmodi munera obtinent, tales esse non ignoremus; optandum, sperandumque est, non absimiles deinceps futuros, qui ad id eligentur; homines nimirum vitæ integros, probatæ doctrinæ, maturo judicio, incorrupto affectu, ab omni partium studio, personarumque acceptione alienos; qui æquitate, libertatemque judicandi, cum prudentia, & veritatis zelo conjungant. Cum autem eorum numerus nunc certus, & constitutus non sit; ab ejusdem Congregationis Cardinalibus consilium expectabimus, atque capiemus, num eum pro futuris temporibus definire oporteat, vel expediat: hoc tamen jam nunc decernentes, quantum eorum numerus definiatur, ut tam Relatores, quam Consultores, ex utroque Clero, seculari nempe, & regulari, assumantur, alii quidem Theologi, alii utriusque Juris periti, alii sacra, & profana eruditione præstantes, ut ex eorum coetu, pro varietate librorum, qui ad Congregationem deferuntur, idonei viri non desint ad ferendum de his judicium.

§. XIV. Ipsos autem Relatores, Consultoresque, tam nunc existentes, quam imposterum quandocumque futuros, monemus, ac vehementer hortamur, ut in examine, judicioque librorum, sequentes regulas diligenter inspiciant, accurateque custodiant.

§. XV. I. Meminerint, non id sibi muneri, onerisque impositum, ut libri ad examinandum sibi traditi proscriptionem modis omnibus curent, atque urgeant; sed ut diligenti studio, ac sedato animo ipsorum expeditis, fideles observationes suas, verasque rationes Congregationi suppeditent, ex quibus recitatum judicium de illo ferre, ejusque proscriptionem, emendationem, aut dimissionem pro merito decernere valeat.

§. XVI. II. Tametsi hæcenus cautum sit, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum, & consulendum in præfata Congregatione, si solum admittantur, qui scientiam rerum, quas libri delati respective continent, diurno studio acquisitam possideant; decet enim de artibus solus artifices judicare;

nihilominus si forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua discutienda committatur ab illius peculiaribus studiis aliena, idque a Censore aut Consultore electo, ex ipsa libri lectione deprehendatur; non veritatis, se neque apud Deum, neque apud homines culpa vacaturum, nisi quam primum id Congregationis, aut Secretarii aperiat; seque ad ferendam de huiusmodi libro censuram minus aptum professus, alium magis idoneum ad id muneris subrogari curet: quo tantum abest, ut existimationis sue dispendium apud Pontificem, & Cardinales passurus sit, ut magnam potius probitatis, & candoris opinionem, & laudem sibi sit conciliaturus.

§. XVII. III. De variis opinionibus, atque sententiarum in unoquoque libro contentis, animo a præiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse sciant. Itaque nationis, familie, scholæ, instituti affectum excutiant, studia partium seponant; Ecclesiæ sanctæ dogmata, & communem Catholicorum doctrinam, quæ Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum constitutionibus, & Orthodoxorum Patrum, atque Doctorem consensu continetur, unice præ oculis habeant, hoc de cetero cogitantes, non paucas esse opiniones, quæ uni scholæ, instituto, aut nationi incerto certiores videntur, & nihilominus sine ullo fidei, aut religionis detrimento, ab aliis catholicis viris rejiciuntur, atque impugnantur, oppositæque defenduntur, sciente, ac permittente Apostolica Sede, quæ unamquamque opinionem huiusmodi in suo probabilitatis gradu relinquat.

§. XVIII. IV. Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum iudicium de vero auctoris sensu fieri posse, nisi omni ex parte illius libere legatur; quæ diversis in locis posita, & collocata sunt inter se comparantur; universum præterea auctoris consilium, & institutum attentè inspicatur; neque venio ex una, vel altera propositione à suo contextu divulsæ, vel seorsim ab aliis, quæ in eodem libro continentur, considerata, & expensa, de eo pronuntiandum esse: sæpe enim accidit, ut quod ab auctore in aliquo operis loco perfunditur, aut subsobscure traditum est, ita alio in loco distinctè, copiose, ac dilucide explicetur, ut offuscæ priori sententiæ tenebræ, quibus involutam prævi sensus speciem exhibebat, penitus dispellantur, omnisque labis expertis propositio dignoscatur.

§. XIX. V. Quod si ambigua quedam exciderint auctori, qui alloquin catholicus sit, & integræ religionis, doctrinæque fama; æquitas ipsa postulare videtur, ut ejus dicta benigne, quantum libuerit, explicata, in bonam partem accipiantur.

§. XX. Has porro, similesque regulas, quæ apud optimos Scriptores de his agentes facile occurrunt, semper animo præpositas habeant Censores & Consultores; quæ valeant in hoc gravissimo iudicii genere, conscientie suæ, auctorum famæ, ecclesiæ bono, & fidelium utilitati consulere. Duo autem reliqua sunt in eum finem plane opportuna, quæ hoc loco adjuvanda omnino esse judicamus.

§. XXI. Prodeunt aliquando libri, in quibus falsa, & reprobata dogmata, aut systemata religioni, vel moribus exitiosa, tamquam aliorum inventa, & cogitata, exponuntur, & referuntur, absque eo quod auctor, qui opus suum pravus huiusmodi mercibus onerare satagit, ea refutandi curam in se recipiat. Putant vero, qui talia agunt, nulli sese reprehensioni, aut censuræ obnoxios esse, propterea quod de alienis, ut ajunt, opinionibus nihil ipsi affirmant, sed historicæ agant. Ad quidquid sit de eorum animo, & consilio, deque personali in eos animadversione, de qua viderint, qui in tribunalibus ad coercenda criminalia instituti jus dicunt; dubitari certe non potest, magnam ejusmodi libris in christianam rempublicam labem, ac perniciem inferri; quum incautis lectoribus venena propinent, nullo exhibitio, vel parato, quo preserventur, antidoto. Subtilissimum hoc humanæ malitiæ inventum, ac novum seductionis genus, quo simplicium mentes facile implicantur, quam dili-

gentissime Revisores advertant, ac censuræ subjiciant; vel huiusmodi libri, si aliqua ex ipsis capi possent utilitas, mendentur, vel in vestitorum Indicem omnino referantur.

§. XXII. In ea, quam superius laudavimus, prædecessoris nostri Clementis Papæ VIII. Instructione, tit. de correct. l. §. 2. sapientissimè cautum legitur, ut quæ famæ proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum, & Principum, detrahunt, bonique moribus, & christiane disciplinæ sunt contraria; expungantur. Et paulo post: facietur etiam, aut dicteria in perniciem, aut præiudicium famæ, & existimationis aliorum iactata, repudiantur. Utinam vero in aspectum, lucemque huiusmodi libri ejusmodi in hac temporum licentia, & pravitate non efferrentur, in quibus dissidentes auctores mutus se iugis, conviciisque proscindunt; aliorum opiniones nondum ab Ecclesiâ damnatas censura perstringunt; adversarios, eorumque scholas, ac coactus sugillant, & pro ridiculis ducunt; magno quidem bonorum scandalo, hæreticorum vero contemptu, qui digladiantibus inter se catholicis; seque mutuo lætantibus, plane triumphant. Etsi verò fieri non posse intelligamus, ut disputationes omnes è mandato tollantur, præsertim cum librorum numerus continenter augetur: faciendi enim plures libros nullus est finis, qui est apud Ecclesiastes cap. 12. compertum præterea à nobis sit, magnam aliquando utilitatem ex his capi posse; modum tamen in defendendis opinionibus, & Christianam in scribendo moderationem servari merito volumus. Non inutiliter inquit Augustinus in Enchirid. cap. 59. prope finem exerceatur ingenia, si adhibeatur discretio moderata, & absit error opinatum se vire quoque nesciunt. Qui veritatis studium, & purioris doctrinæ zelum, qui suarum scripturionum mordacitatem excusant, obtendere solent, si primum intelligant, non minorem habendam veritatis, quam evangelicæ mansuetudinis, & christianæ charitatis rationem. Charitas autem de corde puro, patiens est, benigna est, non irascitur, non amulatur, non agit perperam, (utque addit idem Augustinus lib. contra litteras Petilian cap. 29. num. 31.) sine superbia de veritate presumit, sine severità veritate certat. Hæc magnus ille non veritatis minus, quam charitatis doctor, & scriptor & opere præmonstravit. Nam in suis non adversus Manicheos, Pelagianos, Donatistas, aliosque tam sibi, quam ecclesiæ adversantes, assiduis conflictationibus, id semper diligentissime cavet, ne quempiam eorum injuriis, aut conviciis læderet, atque exasperaret. Qui secus scribendo, vel disputando fecerit, in profecto nec veritatem sibi præcipue cordi esse, nec charitatem sectari se ostendit.

§. XXIII. Si quoque non satis idoneam, justamque excusationem afferre videntur, qui ob singulare, quod profiterentur, erga veteres Doctores studium, eam sibi scribendi rationem licere arbitrantur; nam si carere novos audeant, forte ab lædendis veteribus sibi minime temperassent, si in eorum tempora incidissent: quod præclare animadversum est ab Anchore opæis imperfecti in Mattheum Homil. 42. Cum audieris, inquit, aliquem beatificansem antiquos Doctores, proba qualis sit circa suos Doctores: Si enim illos, necum quibus vivit, sustinet, & honorat, sine dubio, illos, si cum illis vixisset, honorasset: si autem suos contemnit, si cum illis vixisset, & illos contempnisset. Quamobrem firmum ratumque sit omnibus, qui adversus aliorum sententias scribunt, ac disputant, id quod graviter, ac sapienter à Vener. servo Dei prædecessore nostro Innocentio Papa XI. prescriptum est in decreto edito die secunda Martii anni millesimi sexcentissimi septuagesimi noni: Tandem, inquit, ut ab injuriis contentionibus Doctores, seu scholastici, aut alii quicumque, imposturam abstinereant, ut paci, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut nam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quum in thesibus, ac prædicationibus, cavent ab omni censura, & nota, necnon à quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc in hoc catholicos con-

vertentur, donec à Sancta Sede recognita sint, & super eis iudicium præferatur. Cohibeatur itaque ea scriptorum licentia, quia, ut ajebat Augustinus l. 12. Conf. c. 25. num. 34. sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est, aliorum opiniones non modo improbant, & libèraliter etiam notant, atque traducunt. Non feratur omnino, privata sententia, veluti certa ac definita ecclesiæ dogmata, à quopiam in libris obrudi, oppositas vero erroris insinulari; quo turba in ecclesiâ excitantur, dissidia inter Doctores aut seruntur, aut foventur, & christianæ charitatis vincula abrumpuntur.

§. XXIV. Angelicus scholarum princeps, ecclesiæque Doctor S. Thomas Aquinas, dum tor conscripsit numquam satis laudatâ volumina, varias necessario offendit Philosophorum, Theologorumque opiniones, quæ veritate impellente retellere debuit. Ceteras vero stanti Doctoris laudes id mirabiliter cumulat, quod adversarios neminem parvi pendere, vellicare, aut traducere visus sit, sed omnes officiose, ac perhumaniter demereri; nam si quid durius, ambiguum, obscure eorum dictis subesset, id leniter, & benigne interpretando emolliat, atque explicat. Si autem religionis, ac fidei causa postulabat, ut eorum sententiam exploderet, ac refutaret, tanta id præstabat modestia, ut non minorem ab his dissentiendo, quam catholicam veritatem asserendo, laudem mereretur. Qui tam eximio uti solent, ac gloriosi magistro (quos magno numero esse, pro singulari nostro erga ipsum cultu, studioque, gaudemus) si sibi ad emulandum proponant tanti Doctoris in scribendo moderationem, honestissimamque cum adversariis agendi, disputandique rationem. Ad hæc ceteri quoque sese componere studeant, qui ab ejus schola, doctrinæque recedunt. Sanctorum enim virtutes omnibus in exemplum ab ecclesiâ propositæ sunt. Cumque Angelicus Doctor Sanctorum albo adscriptus sit, quamquam diversa ab eo sentire liceat, ei tamen contrariam in agendo, ac disputando rationem minime omnino non licet. Nimirum interest publicæ tranquillitatis, proximorum ædificationis, & charitatis, ut hæ Catholicorum scriptis absit livor, acerbitas, atque incurritas, à christiana institutione, ac disciplina, & ab omni honestate prorsus aliena. Quamobrem in huiusmodi scriptorum licentiam graviter pro munere suo censuram intendant revisores librorum, eamque Congregationis Cardinalibus cognoscendam subjiciant, ut eam pro zelo suo, & potestate coercant.

§. XXV. Quæ hæctenus à nobis proposita, ac constituta sunt, prædecessorum nostrorum decretis plane consona, Congregationis quoque nostrarum legibus, & consuetudinibus comprobata, in librorum examine, ac iudicio instituendo, apostolica auctoritate deinceps servari decernimus: mandantes universis, & singulis, qui in præfatis Congregationibus locum obtinent, seu illis quomodolibet operam suam præstant, ut adversus præmissa sic à nobis statuta nihil edicere, innovare, decernere, aut intendere præsumant, absque nostra, vel successorum nostrorum pro tempore existentium Romanorum Pontificum expressa facultate.

§. XXVI. Non obstantibus contrariis quibusvis, veterum apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, necnon eorumdem Congregationum, etiam apostolicæ auctoritate, seu quavis firmitate alia roboratis decretis, usibus, styli, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

§. XXVII. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum decretorum, mandatorum, statutorum, voluntatum, ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis ausu hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus esse noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, septimo Idus Julii, Pontificatus nostri anno tertio decimo. — D. Card. Passioneus.

J. Darius. — Visa de Curia, Loco A. Plumbi. — F. C. Baschi. — J. B. Eugenius. — Registrata in Secretaria Breviarum.

LIGAMEN.

Vid. verb. Imped. matrimonii art. 2. num. 8. ad. 19.

LIMINA APOSTOLORUM ROMÆ.

SUMMARIUM.

- 1. Annona temporis præfinitione à quo statum visitanda per Episcopos limina Apostolorum: à quo juxta Papæ chirographum: quid Zacharias decreverit: intra quod tempus, quid si impedit, & multi referuntur qui ad hanc actionem tenentur, ad num. 8.
 2. In quibus consistat hujus visitationis munus: an propter hoc abesse possunt à residua: quid in Canonico pro servitio Episcopi ad limina accedente, aut per se operante, & pro quo tempore, ad num. 17.
 3. A quibus possunt visitari, legitimo astante impedimento: à quo tempore incipit visitandi obligatio: quando est faciendâ visitatio: ubi dicantur esse limina Apostolorum: quas parat incurrant ea non visitantes, ad num. 30.
 4. Auctoris supplementa, & add. ex aliena manu subnectuntur, ad num. 42.

LIMINA Apostolorum Romæ visitanda esse ab Episcopis statuit, sed absque præfinitione temporis, Leo III. Ep. 1. Sanctus Anacletus autem statuit esse visitanda juxta Papæ chirographum; cap. Juxta 3. dir. 93. Zacharias vero in Concilio Romano cap. 4. statuit ab Episcopis propinquis quolibet anno visitanda esse personæ, à remotis vero per Epistolas: cit. cap. Juxta 3. dir. 3. Episcopi noviter creati jurant se visitaturos Limina Apostolorum per se, vel per certum Nuntium quolibet anno, nisi à Sede Apostolica dispensentur, seu ad longius tempus eorum visitatio prorogetur; cap. Ego N. Episcopus 4. de jurejurando; Nunc autem talis obligatio est eis prorogata, ut infra.

Episcopi viciniore, etiam si sint Cardinales, per se ipsos, si non sint legitime impediti, visitare limina Apostolorum, & sui pastoralis officii rationem reddere, ac totius suæ ecclesiæ status relationem facere tenentur tertio quoque anno, ut Itali. Alii vero pro majori, vel minori distantia quarto, ut Germani, quinto, ut Africani, vel decimo anno, ut Asiatici, iter suscipere, & Deo concedente perficere debent; & successive eisdem temporibus transactis reperere debent, Sixtus V. constit. 15. incip. Romanus Pontifex.

Episcopi legitime impediti, si per se ipsos non possunt visitare limina, tenentur id facere per alium in dignitate constitutum, vel si hunc non habent, per Sacerdotem diocesannum id facere debent; & si nec hunc habent, per alium Clericum, & docere debent de impedimento, & quomodo id est faciendum; Sixtus V. cit. constit. incip. Romanus Pontifex §. 4.

Limina Apostolorum visitare tenentur etiam Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi titulares, ut declaravit Sac. Cong. Concilli, teste Fagnano lib. 2. Decret. in cap. Ego N. Episcopus 4. de jurejurando n. 82. Coadjutor autem Episcopi non tenetur visitare limina Apostolorum, sed Coadjutor Sac. Congr. Concilii 4. August. 1609. apud Gavant. in manual. verb. Limina Apost. num. 2. in addit.

Munus visitationis liminum in tribus actibus potissimum consistit, scilicet in materiali sacrorum liminum visitatione, in exhibitione debite obedientiæ, ac reverentiæ Romano Pontifici, & in relatione status ecclesiæ; Quos tres actus complectitur cit. bulla Sixti V.